

X. Cum ex divortii innumera oriuntur mala, tum quoad ipsos conjuges propter incontinentiae periculum, tum quoad filios qui non nisi aegre ferre possunt parentum divisionem, tum quoad caeteros propter facile scandalum, ideo confessarius, *primo*, magna cautela procedere debet in divortio permittendo imo omnem operam insumere, quantum in se est, ut conjuges ab eo avertat; *secundo*, ne facile credat uxorum praesertim adversus viros querelis aut suspicionibus ad separationem obtinendam, tum quia saepe saepius (prout experientia docet) solitum est eis aerumnas suas exaggerare ut jugo maritali subtrahantur, tum quia plerumque ipsae in causa sunt cur mariti irascantur propter earum vel procacitatem vel erga viros inobservantiam; *tertio*, cum non raro divortia a minimis incipient, omnem propterea diligentiam adhibeat, ut hisce opportune et sub initio occurrat, animos conjugum reconciliando, patienter illorum querelas audiendo, eorumque iras sedare nitendo, praesertim ex sanctorum exemplis et ex conditione humanae naturae, a qua, in quolibet vel statu vel consortio, vitia et defectus sunt inseparabiles; *quarto*, si hisce non obstantibus curis, divortium facere contendant absque gravissima causa, eos nullatenus absolvat, quia gravissime peccant contra obligationem vitam sociale ducendi (Scav., III, 862).

110. Conclusiones. — 1.^a Cavendum est prudenti confessario, ne de variis congregandi modis unquam interroget, quod non solum inutile, sed et sibi et poenitenti atque etiam aliis (1) scandali plenum foret; et quando manifesta adsit interrogandi necessitas, satis erit nosse, an completa fuerit pollutio intra vas, juxta enunciata in *Princ. I*; et exinde, uno verbo, de aliis, idest de venialibus et de incertis, nefas sit prorsus interrogare.

2.^a Non est mortale per se (2), et proinde a confessario nullatenus exquirendum nisi adsit positiva necessitas, situs

(1) Dico et aliis, nam non raro poenitentes, praesertim foeminae, saltem levitatis causa, de dictis et interrogatione confessarii cum aliis loquuntur.

(2) Dico *per se*, quia potest esse mortale ex prava concupiscentia, puta, ex affectu bestialitatis.

innaturalis (imo, accedente justa causa, puta, aegritudine, periculo abortus, etc., nullum peccatum), prout si coeant modo praepostero, non tamen sodomitice, sed ad instar peccudum, quia situs est accidentale copulae, dummodo experientia non constet quod, mutato situ naturali, nihil seminis foemina retineat ob nimiam vasis laxitatem vel humiditatem vel aliquam infirmitatem (S. A., 917); nec copula habita propter solam voluptatem (1); nec delectatio morosa in conjugate de copula habita vel habenda, quae tamen non possit haberi de praesenti, dummodo absit periculum pollutionis, quamvis hortandi sint conjuges ut ab ea abstineant (S. A., 977 cum comm.); nec a fortiori simplex cogitatio de eadem copula, quod nullatenus illicitum habemus (Gur., II, 920); nec tactus et aspectus turpes inter conjuges propter solam voluptatem (non excepto osculo in verendis quia est simpliciter tactus) sine ordine ad copulam, modo absit periculum pollutionis, et etiamsi copula ipsis esset vetita ob morbum vel impotentiam quae supervenit, quia, cum copula sit ipsis licita, hi actus non possunt esse graviter illiciti (2); nec tactus pudici cum periculo pollutionis quando adest gravis causa, puta, ad fovendum mutuum amorem, vel suspensiones amovendas (S. A., 934); nec si conjuges, incepta copula, cohibeant seminationem mutuo consensu, modo absit periculum pollutionis (quod tamen ordinarie adest), quia illa penetratio vasis foeminei reputatur tantum tactus impudicus (S. A., 918; Ball. ad G., II, 919, cum comm.); nec si interrumpant actum conjugalem, etsi ex naturae concitatione sequatur pollutio, modo sit juxta causa interrumpendi, puta, vitandi periculum morbi vel scandalum ob aliquem intervenientem; nec si foemina ob laudabilem finem, puta, pietatis causa, vel etiam ex mera indifferentia in actu coitus ad alia se divertat, ne concitetur ad seminationem, cum juxta om-

(1) Quod sit illicitum, patet ex pr. IX damn. ab Innoc. XI, sed venialiter tantum. Vid. S. A., 912.

(2) S. A., 933; Scav., III, 848. Vid. Ball. ad G., II, 919; Berardi. *Prax.* 331. Caeterum in praxi, ait S. A., impeditus ordinarie se debet abstinere ab hujusmodi tactibus praesertim turpibus, ob periculum proximae vel pollutae vel petitionis copulae, contra prohibitionem petendo. Vid. Croix VI, 3, 245-46.

nes diversio ad alia neque proderit quidquam neque nocet (v. Eschbach, *l. c.*, c. 4, a. 2); nec si item foemina se retrahat a seminando, postquam vir jam seminaverit, vel si vir non expectet seminationem mulieris, cum semen mulieris non sit necessarium ad generationem (1); nec si foemina e converso se excitet ad seminandum quando vir se retrahit ante seminationem mulieris, quia seminatio mulieris (si est vere) pertinet ad complendum actum conjugalem, licet in praxi omnino hortandus vir ut seminationem mulieris expectet; nec si coeant vel tempore menstrui tum extraordinarii tum ordinarii (2), vel quando uxor laborat gonorrhoea seu leucorrhoea vel *fluxo albo*, quo foeminae praegnantae saepe laborant, vel tempore purgationis post partum (3), vel tempore lactationis, vel tempore praegnationis nisi adsit periculum abortus, quod revera non ita facile praesumendum (4), vel tempore morbi, saltem plerumque, excepto morbo proxime tendente ad mortem, ut esset pestis, aut lepra

(1) S. A., 918. Quae sententia in praxi hodie praesertim omnimode tuta ex physiologia modernis, cum foemina, juxta ipsos, non sit ullo modo capax seminationis ad generationem, et organis ad hoc convenientibus deficiat; ut patet ex multis exemplis foeminarum, ut asserunt medici, quae sine ullo voluptatis sensu gravidae evaserunt. V. Eschbach, *l. c.*, cap. 3, a. 2 et cap. 4, a. 2.

(2) Fluxus mulieris alius est naturalis et ordinarius, et iste proprie dicitur menstruus, quia communiter singulis mensibus solet in foemina accidere; et licet in innuptis sit frequens, contingit tamen etiam in conjugatis, quamvis satis raro ut medici testantur, et perdurat ut plurimum per duos vel tres dies; alius extraordinarius proveniens ex aliquo morbo diuturno, et aliquando durat usque ad duodecim dies et ultra.

(3) Ex recentioribus copula tempore purgationis puerperalis graviter noceret foeminae, non proli forte generandae, cum conceptio hoc tempore non fiat *in primis duobus hebdomadis*, et proinde tunc dicenda foret graviter illicita: infra vero quatuor hebdomadas sequentes, cum periculum non tantum sit, non videtur excedere veniale. Perfecta uteri restitutio post sex fere hebdomadas efficitur, et tunc conceptio denuo possibilis evadit, et proinde usus matrimonii expeditus. Vid. Capellmann, *Medicina pastoralis*, ap. Eschbach, *l. c.*, d. 1, cap. 9, a. 3; Marc, 2102.

(4) Quando adsit hoc abortus periculum ex generali lege physiologica dijudicari nequit. Adverte sequentia: copula effraenata atque nimis repetita abortum causare valet; in mulieribus ob naturalem dispositionem facile abortientibus, copula etiam moderata, primis et ultimis praegnationis temporibus, foetui saepe saepius officere potest. Eschbach, *l. c.*, a. 2, Marc., 2102.

leonina (qua frustatim membra decidunt), aut quodcumque ex morbo immineret grave periculum vitae tunc conjugum sano tunc infirmo, quia nemo est dominus vitae (1); nec si propter senectutem vel aliam dispositionem conjuges non nisi imperfectissime actum perficiant; semen etiam extra vas effundendo, modo adsit spes probabilis intra vas seminandi, quia tunc effusio extra vas est per accidens (S. A., 954, d. 2; Berardi, *Prax.*, qu. IX).

3.^a Certum est graviter peccare conjugem negantem debitum absque legitima causa, quoties est periculum incontinentiae vel gravis molestiae in altera parte, aut etiam si neget alteri *serio* petenti, quia suae non satisfacit gravi obligationi; item coniugem si se impotentem reddat etiam mediis alias licitis, puta, jejuniis (S. A., IV, 1034); item uxorem si in redditione magnam morositatem ostendat, vel viro *dure et contumeliose* suas exprobrat petitiones; item virum qui vel ex malevolentia vel ex amore erga aliam vel alia quavis iniqua causa, nunquam aut fere uxorem cognoscit, quamvis advertat vel praesumere debeat id illam aegerrime ferre; item virum inchoantem copulam in vase praepostero, licet postea consummet in vase debito, quia est vera sodomia licet non consummata; item perfricantem virilia circa vas praeposterum uxoris propter affectum sodomiticum; item viduam, quae se venerae oblectat de copula olim habita, quia est illi illicita propter statum; item bigamum qui coeundo cum secunda delectatur carnaliter de copula cum

(1) S. Th., *Suppl.*, q. 64, a. 1; S. A., 909 y 950; Marc, 2102. Notandum quod in morbis *contagiosis* copula prohibita est sub gravi, si brevi mortem inferre apti sint; licita si chronici vel diuturniores sint quia praevalet periculum incontinentiae. At (nota bene) in syphilide seu morbo gallico, quod est maxime contagiosum, copula graviter illicita semper est, propter horrendas sequelas, quas pro comparte et pro prole secum trahit: infectio partis sanae est fere inevitabilis; proles plerumque syphilitica; abortus frequentissimus vel partus immaturus. Hunc morbum pars infecta comparti manifestare non tenetur, dummodo nec reddat. In morbis vero *non contagiosis* tum acutis, tum chronicis, copula non est graviter noxia, nisi vel ratione particularis dispositionis personae, medicorum iudicio, vel in morbo cum febris multo debilitante et supremo dolore conjuncto. Vid. Capellmann, *l. c.*, ap. Eschbach, *l. c.*, a. 5. Phtisis non est morbus contagiosus, sed *haereditarius*, et ideo non impedit copulam.

priore, quia est permixtio cum aliena; item mulierem ejicientem semen directe seu ex intentione generationem impediendi, non vero ex aliqua necessitate, puta, vitandi scandalum; item conjugem delectantem de copula cogitata inter ipsum et alienam, dum coit cum propria conjugē (S. A., 914-16, 932-34).

4.^a Non possunt certo damnari de mortali, saltem quia est dubium, actus turpes quos conjux habet cum semetipso, altero absente, et secluso pollutionis periculo (Sanch., *Matr.* IX, d. 44, n. 15; Ball. ad G., II, 920; v. S. A., 936; Potestá, *Ex. Conf.*, p. 1, n. 4314); nec copula incoepta in ore et consumata in vase naturali, quia illa immissio potest haberi tanquam simplex tactus; nec delectatio (ad se excitandum ad copulam) tum de pulchritudine alterius personae sed absque affectu turpi, tum de copula aliena cogitata, ut quis se excitat ad coitum cum uxore, licet neutrum permittendum, imo potius ab eo avertendum, quia, quidquid speculative dicant aliqui theologi, hujusmodi cogitationes in praxi conjunguntur de more cum desiderio absoluto copulam habendi cum eadem persona imaginata, maxime si fuit quondam vel est aliquo modo amata, quod certo tenendum (v. S. A., 913-14).

5.^a Ad onanismum speciatim quod attinet haec advertenda veniunt. *Primo*, Onanismus, qui ordinarie in eo consistit quod vir, incoepta copula, ante seminationem in vase mulieris, eam abrumpat seu se retrahat, et semen extra effundat ut generationem impediatur, est semper peccatum mortale, quia omnino contradicit fini principali matrimonii, et per se tendit ad societatis extinctionem, et proinde est contra naturam et intrinsece malum. Dixi *ordinarie*, quia est alius onanismi pessimus modus, qui consistit in eo quod vir, in penetrando vas mulieris, utatur aliquo panno vel instrumento, vi cujus semen non recipitur in matrice, sed in hoc panno vel instrumento. *Secundo*, Vir onanista nunquam a peccato gravi eximi potest, et perinde nunquam absolvendus nisi sincere doleat et tantum scelus vitare promittat; ac si sit recidivus illi applicandae sunt regulae recidivorum. *Tertio*, Cum tota actus deordinatio ex viri malitia procedat,

ideo mulier potest citra peccatum permissive se habere, cum a sua quidem parte det operam rei licitae nec aliquid contra naturam agat, et aliunde utatur jure suo, dummodo (nota bene) peccato viri omnino *dissentiat*, opportunas *admonitiones* ei faciat de hoc scelere non patrandō, juxtam et gravem *causam* habeat hoc permittendi, quia, his positis, cooperatio est materialis, nec charitas, qua peccatum viri impedire tenetur obligat abstinere cum tanto incommodo nisi forsan semel vel bis (S. *Poenit.*, 13 Nov. 1816, 8 Jun. 1842, 1 Febr. 1853; S. A., 944-47; Bouvier. ap. Scav., III, 928); unde potest non solum reddere sed et petere. Causae vero graves sunt: ad evitandum periculum incontinentiae, ad impediendas blasphemias in Deum et religionem, convicia erga confessarium et sacerdotes generatim, verba scandalosa coram liberis et famulis, vel divortium aut infamiam aut scandalum, vel timor ne vir ad aliam accedat, et alia id genus. Si autem vir hoc scelus patrare velit secundo modo seu ope panni, nullimodo potest ne passive quidem se habere, sed omnino illum pro viribus repellere non secus ac virgo cui vis infertur, quia ipsemet actus copulae est ab initio seu ab ipsa penetratione contra naturam, et proinde intrinsece malus (v. S. A., 943; Berardi, *Prax.* 327; Marc. 2117). *Quarto*, tenetur ergo uxor ex una parte virum blanditiis variisque amoris indiciis allicere ut vel actum perfecte compleat vel omnino abstineat (quod saepe effectum sortiri experitur), et ex alia eum, ut dixi, monere; quas admonitiones nec sufficit semel fecisse nec oportet qualibet vice repetere, sed interdum tamen renovandae sunt, nisi certum sit nihil omnino esse profuturas, licet vero repugnantiam suam, saltem aliquo modo, qualibet vice patefacere debeat, ut ex aliis *Poenitentiar.* responsion. patet. *Quinto*, Graviter peccat uxor vel quando detestandae mariti actioni interius assentit, licet exterius repugnantiam pro forma ostendat; vel quando virum ad onanismum inducit etiam tacite vel indirecte, puta, conquerendo de laboribus partus, de numero proles, aut recantando se in proximo partu morituram esse; vel quando a fortiori se retraheret, invito vel non marito, ab incoepta copula ante seminationem viri, cum positive ad peccatum, et in primo casu etiam injuste,

cooperetur; vel quando post copulam a marito abruptam et semen extra vas effusum, tactibus se excitaret ad explendam libidinem, quia esset vera pollutio. *Scato*. Non peccat vero si consensum internum voluptati praebeat, quando actum conjugalem viro licet onanistae permittere potest, modo peccato viri non assentiat, quia delectatio consequitur licitatem actus (Gur., II, 926); nec si delectetur, non de onanismo viri in se, sed de effectu sequuto, puta de immunitate ab incommodis gestationis vel partus, quod sedulo advertendum ne inaniter vexetur mulier, quae tamen viri crimen efficaciter detestatur, prout patet vel ex eo quod si optio illi daretur, nunquam abusum hunc vellet (Ball. ad G., II, 923). *Septimo*. Non satisfacit muneri suo confessarius, qui cum poenitente, onanismi peccatum accusante, altum silentium servat, illi qui asserenti se detestari generaliter omne peccatum lethale, sanctam absolutionem impertitur, ut declaravit S. Poen., 14 Dec. 1874; imo, quando adest *fundata suspicio* quod poenitens huic crimini sit addictus et tamen de illo silet, *teneatur prudenter ac discrete interrogare*, nec non monere de hujus peccati gravitate, eique absolutionem tunc solum impertiri cum sufficienter constet, eundem dolere de praeterito et propositum habere non amplius onanistice agendi, ut iterum declar. S. Poenit., 10 Marzo 1886 (v. Bucceroni, *Enchirid.*, n. 927).

6.^a Ad divortium faciendum, sufficit, ratione adulterii, si vir fide dignissimus testetur de adulterio, vel de violento indicio; item epistolae amatoriae uxoris, quibus adulterium fateatur praeteritum; item sodomia (accessus ad indebitum sexum) vel bestialitas commissa a conjuge, quia nomine adulterii hic venit quaelibet carnis divisio (S. A., 961-62; Ball. ad G., II, 771); item diuturna et injuriosa desertio, quia graviter violat fidem conjugalem; item si vir uxorem serio male tractet, vocando vulgo *estúpida*, *bestia*, *imbécil*, vel eam e domo interdum expellendo, et alia id genus, quod tunc maxime tenendum quando mulier sit civili genere nata, vel cum propter hujusmodi contumelias ejus valetudo deterior evasisset (ita S. C. C., Febr. 1859, ap. Scav. III, 932); item et sola verbera si sint frequentia, ex levi causa, acriter, aut ex amore ad aliam (S. A., 972).

7.^a S. C. Concilii propositum fuit hoc dubium: Quenam esse debeat agendi ratio episcopi, parochi et confessarii erga impotentes (certe ut tales), quia ea ratione separari nequeunt, quod eorum separationi obsistat civilis Galliarum lex, quae impotentiae impedimentum non agnoscit. Et S. C. respondit 15 Dic. 1877 (ap. Mansella, p. 1, c. 2, a. 2): *Vivant ut frater et soror; quod si id fieri non posset sine peccati periculo, separentur omnino, et ad mentem*. In Cod. vero Civ. Ital. a. 107, admittitur impotentia, ut causa declarandi nullitatem matrimonii, quando est *manifesta, perpetua et matrimonio antecedens*, prout Ecclesia statuit.

111. Dudas.—1.^a Utrum liceat conjugibus in iis rerum adjunctis, in quibus generatio difficilior evadit, matrimonio uti? Cum haec quaestio sit pro praxi maximi momenti, ne quid permittatur illicitum, aut e contra ne conscientia poenitentium plus aequo oneretur, haec statuenda veniunt. *Primo*, numquam, ut jam diximus, onanismus licitus est. *Secundo*, licitum est non solum reddere sed etiam petere propter solam incontinentiae evitandae causam, quia ad hoc institutum matrimonium, dummodo (adverte animo) finis procreandae prolis non excludatur (S. A., 882). *Tertio*, certum est usum matrimonii esse licitum quando mulier certa sterilitate laborat vel ob aetatem inhabilis evasit, vel consummatio matrimonii dilata est usque ad aetatem, qua nulla spes concipiendi affulget. *Quarto*, ergo, his positis, licitus dicendus est usus matrimonii iis in adjunctis quibus foecundatio difficilior evadit, licet semper possibilis; quia ex una parte nihil positive agunt ut supponitur, quod finibus intrinsecis conjugii aut licitati actus sit contrarium, et ex alia utuntur jure suo, absque offensione naturae, quae, licet difficulter, vere tamen assequi potest finem suum. Ad cujus intelligentiam sciendum est foecundationem duobus modis, ut aiunt medici, difficilior evadere posse: vel congregiando situ variato, quo proles non ita certa sit, vel congregiando iis dumtaxat temporis intervallis, in quibus foecundatio mulieris difficilior evenire potest. Quoad primum, quamvis variando situm non ita certa sit proles, hoc non reddit congressum illicitum, neque ex parte actus ipsius, quia modo

nihil efficiant quod conceptioni obstetur, non tenentur certioremodum ad prolem concipiendam eligere, sicut minime tenentur uti aliquibus mediis faciliori conceptioni deservientibus; neque ex parte intentionis seu desiderii prolem non suscipiendi, tum quia finis praecepti non cadit sub praecepto, tum quia cum desiderium non multiplicandi prolem non sit ex se malum, accedente justa causa, puta, impossibilitate alendi numerosiorem prolem, fit licitum (Sanch. *matr.* IX, d. 8, n. 10, d. 16, n. 6, ubi haec omnia optime firmantur). Quoad secundum, physiologiae progressus ostenderunt sua stata esse tempora, quibus sperari vel non facilius effectus possit generationis. Exploratum quippe est ex medicorum testimoniis experientia obfirmatis, mulieres de facili gravidas evadere posse tum in menstruatione tum aliquibus diebus antea, tribus vel quatuor, et quindecim circiter diebus postea, et e converso difficulter concipere aliis temporibus, dummodo menstruationem mensilem et regularem habeant (v. Descuret, *Medic. delle pass.*, c. 4, § *influenz. della gravid.* Eschbach., *l. c.*, c. 4, qu. 3). Si ergo conjuges coeant illis temporibus, in quibus conceptio difficilior existit, licet semper possibilis, saltem ex parte actus, non erunt increpandi, tum quia actus conjugalis est quidem completus eo modo quo exigit natura ad foecundationem obtinendam, tum quia, cum ejusmodi actus eis licitus sit absolute, nulla lege prohibente copulam in iis temporibus, illicitus evadere non potest propter desiderium prolem non procreandi, ut patet ex modo dictis, tum quia demum finis ex una parte non procreandi prolem numerosiorem, causa juxta adveniente (1), et ex altera vitandi incontinentiam, cohonestat permissionem difficilioris tantum foecundationis. Quod autem semen in his rerum ad-

(1) Quod desiderium non procreandi filios plures quam conjuges alere possint sit aliquando licitum, patet etiam ex eo quod theologi cum D. Alph. dicunt (contra alios tamen) hanc esse juxtam causam negandi debitum: quinimo illi etiam doctores qui hoc, ut innumis, ordinarie non admittunt, concedunt tamen hoc admittendum esse quando, multiplicata prole, ad extremam necessitatem redigerentur; ergo hoc desiderium non est ex se malum, et ex juxta causa fit licitum. S. A., 941; Gur., *Cas.*, II, 1117.

junctis suum non sortiatur effectum est per accidens, non vi ipsiusmet actus ex se completi, prout evenit in senibus vel sterilibus vel in aliis casibus, in quibus ex gravi causa, ut ait S. Alph., aliquid conjuges facere possunt, ex quo per accidens (nota) sequatur seminis effusio (quod et excedit nostram hypothesim), illam tantum permittendo, prout ex superioribus casibus enuntiatis manifestum est (1). Demum variis de isto agendi modo expositis dubiis, S. *Poenitent.*, die 16 Jun. 1880 respondit: Conjuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam, de qua agitur, illis conjugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit (Marc., 2118, *Qu.* 3.^o). Ex quibus sequitur pariter licitum esse viro, si penetret quidem aliquantulum in vas uxoris, sed totum semen effundat in introitu vaginae quin in uteri interiora ejaculet, quia, licet difficilior, hoc etiam modo generatio sequi potest, cum capillaritatis virtute, ut ajunt, semen ad interiora usque uteri ascendat, ut hodie certo habent physiologi omni exceptione maiores: nec aliunde tenetur vir aptiorem generandi modum eligere. Peccaret tamen affective si hoc efficiendo intenderet generationem impedire (2).

2.^a Estne licita foecundatio artificialis? Haec, ut medici materialistae eam hodie propugnant in America praesertim et in Gallia, in eo consistit quod, absque carnali maris et foeminae copula, virile semen ope siphunculi introducatur in organa foeminea. Esse prorsus illicitam patet quia semen haberi non potest nisi per pollutionem solitariam vel fornicationem, quod utrumque intrinsece malum; quia haec operatio de se tendit ad mores corrumpendos, ut patet ex necessitate habendi semen per alterutrum medium praedictum; quia ipsa operatio introductionis seminis est prorsus aliena

(1) S. A., 954; Ball. ad G., II, 923, *Not.*, ad 4; Del Vecch., II, 1043; Marc., 2118; Berardi, *Prax.*, 334. Vid. Sanch., *matrim.*, IX, d. 16, n. 6, y Gouss., II, 887.

(2) Vid. Eschbach, *l. c.*, cap. 4, a. 2; Marc., 2118; Berardi, *Prax.*, 334. Non deest tamen nec inter hodiernos, qui teneat mulierem non concipere posse nisi vir in uteri interiora jaculet, prout D. Roubaud, *Traité de l'impuissance et de la stérilité*, 3.^a edic., 1875, ap. Eschbach, *l. c.*

a natura, tumquia, cum ipsa natura, es impotens, nulla succurrit necessitas eam supplendi, tum quia velamine pudoris ipsamet natura generationem undequaque contextit. Est et alia methodus foecundationis artificialis improprie dictae, quatenus scilicet praehabita inter conjuges copula et virili semine ad os vaginae deposito, medicus ope cujusdam instrumenti, quasi natura in suo opere adjuvans, in ipso foeminae vase haustum idem virile semen in uteri profundum projicit. In hac operationis methodo nihil videtur per se quod sit intrinsece malum, quia per hanc tantum natura adjuvatur, ut dixi, nec ulla apparent consecraria publicis moribus perniciosa, quae in prima methodo adnotavimus; et proinde, licet videatur aliquantulum praeter velamen pudoris a natura inditum, juxta tamen adesse potest aliqua ratio quae operationem coonestet (Eschbach, *l. c.*, c. 4, a. 3).

3.^a An parentes baptizantes vel de baptismo suscipientes filios contrahant impedimentum petendi debitum? Certum est *contrahere* patrem qui etiam in necessitate vel ex ignorantia baptizat filium, quem ex concubina suscepit, ita ut illam ex hoc capite ducere non possit; quia cum nullum jus habeat petendi ab ea, judicandum est ex principio generali cognationis; at *non contrahere* si baptizent in necessitate, quia *inculpabile judicandum, quod necessitas intulit*, ut dicitur in jure; *nec contrahere* si ignorantia sive juris sive facti baptizent (1); *nec contrahere* etiamsi (nota) baptizent ex industria et absque necessitate (licet peccent graviter *v. S. A.*, 150), tum quia hoc nullo jure invenitur expressum, tum quia cum ex jure hujusmodi conjuges *non sint separandi et nec alteri debent debitum debet subtrahere* (2), utraque pars ergo petere

(1) *Cap. Si vir 2 de cogn. spir. S. Th., Suppl.*, q. 50, a. 1, 0. Croix, VI, 3, 338. At contrahuntne in ignorantia poenae? Valde dubium: sed ego non puto, ut alias.

(2) Sic in terminis Alex. III, in respons. ad Episc. salernitanum, qui eum interrogaverat super hoc dubio, in cit. cap. *Si vir*; et rationem addit Pontifex valde urgentem; quia si fecerunt *ex ignorantia, eos ignorantia exosare videtur*; si ex malitia (nota), *eis sua fraus patrocinari non debet vel dolus*. Ergo, ut bene arguitur, si ambo reddere tenentur, ambo petere possunt: nam si nocens petere non posset, neque pars innocens posset reddere, quia ex una parte non tenetur, ut patet, ex alia non posset absque (gravi incommodo) quia cooperaretur peccato atterius. Vid. *S. A.*, 150.

potest, tum quia, cum saltem hoc dubium sit, non potest (ex praemissis principiis) jus certum conjugum auferri; quod in praxi tutum. Nec verum est, ait S. Alph., quod quidquid matrimonium dirimit contrahendum, impediatur jam contractum; cognatio enim spiritualis ante matrimonium est inhabilitas ad contrahendum, post matrimonium esset poena jus adimens acquisitum, et nulla poena, juxta omnes, incurritur nisi in jure sit expressa, prout pro nostro casu nullibi invenitur (1).

4.^a Teneturne mater incisionem seu operationem caesaream pati ad infantem nonnatum baptizandum? Ut claritati perspiciamus, ad omnem eliminandum dubium circa hanc obligationem, sequentia praenotamus. *Primo*. Operatio caesarea (2) in eo consistit quod uterus matris gravidae aperitur ut foetus extrahatur. *Secundo*. Praeter operationem caesaream medici aliam operationem efficiunt, quam vocant *Sinfsiotomiam* (quasi *Eductio integra* ex graeca etymologia), vi cujus foetus erui potest vivus et animatus, et quae consistit in sectione cutis et cartilaginis cujusdam (in osse *pube* existentis), vi cujus bacinum muliebri seu vagina uteri dilatatur, ut foetus exire possit vivus et animatus; quae operatio parum periculosa est, foetum et matrem facile salvat (3). *Tertio*. Licet operatio caesarea semper sit periculosa,

(1) *S. A.*, 150; Scav., III, 854; Gur., II, 806, cum not.; Ball., Croix, VI, 1, 358; D'Ann., III, 147. *Not.* 15, cum Roncag., Salmant., Alasia, De Angel. et plur. aliis grav. doctor. Me quidem non latet adesse responsum *S. Poenit.* an 1869, cuidam confessario (*v. Scav.*, III, 854), quo conceditur dispensatio ab impedim. cognationis spiritualis, ut poenitens quidam posset debitum petere et reddere, qui ignorans baptizaverat proprium filium, timens sed timore inani ne moreretur; sed ex quo *S. Poenit.* vel *Dataria* concedat dispensationem aliquam vel ad cautelam vel ut conscientiae nimis meticulosae occurrat, non sequitur eam datam fuisse tamquam necessariam, vel amitti ipsam facultatem petitam, quia *S. C.* respondet juxta petitionem ut omnis animi sollicitudo eripiatur, nec tenetur admonere oratorem de facultate quam ipse habet; et licet in ipsa concessione interdum aliquam ponat limitationem nec probat contra hanc doctrinam; ex quo enim ad eam fit recursus, est in sua potestate licentiam ad libitum coarctandi. Ita etiam *Ben. XIV, Notif.* 101, n. 5.

(2) *Operatio Caesarea* vel quia *caeditur*, vel a *Caesare* Augusto, quem per hanc operationem e sinu matris extractum esse ferunt, et qui ab ipsa nomen, quod ab eo operatio, accepit.

(3) Cangiamila, *Embriologia sacra*, lib. 3, cap. 1, n. 3 y 4, ubi, licet hanc operationem non apellet *Sinfsiotomiam*, ut hodie dicunt, de hac

hodie tamen propter chirurgiae progressum facilius absque dubio evasit quam antea. *Quarto.* Omissa incisione caesarea, mater non in minori vitae periculo versatur, cum, ex communiter contingentibus, foetus mortuus in utero dissecari nequeat absque magno vitae matris discrimine, ut medici testantur. *Quinto.* Per operationem caesaream, unde partus caesareus dicitur seu *histerotomachia*, infantes facilliter vita et baptismo donantur. *Sexto.* Relate ad hanc operationem casus considerari potest vel quando mater est mortua vel quando adhuc vivit; item vel quando foetus est vivus vel quando est mortuus; unde resolutiones variae procedunt. His praeactis, sequentia statuenda veniunt. *Primo.* Quando mater est mortua, et statim (nota) ac de morte ejus constat, operatio caesarea potest et debet sub gravi a chirurgo fieri, etiam invitis parentibus et propinquis, si fieri possit; qui propinqui graviter peccant si incisionem impediunt, quia charitas exigit ut omni cura salus aeterna infantis procuretur, ut expresse statuit D. Th., 3 p., q. 68, a. 11, ad 3 et *Ritual. Roman.* (Descuret, *Meravigl. del corpo um.*, p. 5, § *Embriol. sacra*, 102; Gur., II, 256-58); et haec incisio faciendum si immineat tempus partus, tum etiamsi cognoscatur matrem a brevi tempore esse gravidam, quia experientia constat, hodie praesertim, animationem foetus fieri paulo post conceptionem; sed antequam operatio fiat mors matris plusquam certa esse debet; et e converso non de facili omitti debet quoties aliqua, licet minima, spes affulgeat quod foetum adhuc vivat, cum experientia constet aliquando vivum persistisse in utero matris demortuae quatuor etiam supra viginti horas et amplius (Descur. *Meraviglie ecc.*, l. c., n. 89, 102, in *Not.*; Ben. XIV, *Syn.* XI, 7, n. 13); et proinde parochus adlaborabit ut propinqui defunctae operationem permittant, eis suadendo quod, cum alias nihil omnino prosit demortuae abstinencia ab operatione, haec aeternaliter obfutura sit ejus proli; et quando suis adhortationibus nihil proficeret tum apud chirurgos tum apud ministros status, ut aiunt, civilis, monebit administratos justitiae municipalis

tamen aut qua simili loquitur, quam, ait, efficiunt per instrumentum quoddam *Speculum matris* appellatum.

(*guardia municipal*), quia si parochus curare debet vitam aeternam infantis, ex lege civili propinqui et obstetrices tenentur ad salvandam ejus vitam temporalem (Rivarolo, *Gov. ecc.*, p. 1, tit. 1, c. 1, n. 19). *Secundo.* Vivente matre, si fieri potest, adhibenda est sinfisiotomia seu dilatatio bacini muliebris per sectionem supra memoratam, ut patet. *Tertio.* Si sinfisiotomia non valet et infans est mortuus, tunc non incidenda mater, sed cadaver extraendus aptis uncinis seu aliis instrumentis; quod si extrahi non valeat, tunc mater indici potest, sed ad hoc non tenentur nec chirurgi nec mater ipsa; quod attente notet confessarius vel parochus (Cangiamila, l. c., c. 4, n. 2-5; Descuret, l. c., n. 101). *Quarto.* Si infans est vivus et certe baptizatus, ope instrumentorum hodie apte et secure operantium, tunc item non adest obligatio incisionem caesaream efficiendi, ut patet, quia ad hoc non tenetur mater ad vitam temporalem infantis tantum salvandam, sicut nec ad suam propriam vitam, ut postea dicemus. *Quinto.* Si infans est vivus et non baptizatus nec debet nec potest operatio fieri, quoties adest periculum probabile seu proximum mortis matris, et proinde nec ipsa potest ad hoc suo positivo consensu concurrere, quia hoc esset directe occidere matrem, quod nunquam est licitum (3, p. q., 68, a. 11, ad 3; S. A., 106; Gur., II, 256; Descur., l. c., n. 98). *Sexto.* Vivente matre, operatio ergo potest et debet fieri, *quando* ex judicio medicorum absit proximum seu probabile mortis matris periculum, quod periculum, ut plurimum, abest cum mater est sufficienter robusta et chirurgus satis peritus; *quando* item ex judicio peritorum aliter infans baptizari non possit; *quando* mater moritura sit antequam pariat, cum maximo periculo mortis infantis priusquam baptizari queat; *quando* adsit probabilis seu fundata spes proli salvandae, quia si adesset tantum modica spes, posset quidem, sed non teneretur mater operationem subire, cum charitas non urgeat in tanta incertitudine (Cangiam., l. c., c. 4 e 9, et c. 5, n. 6-7; S. A., 106; Gur., II, 259; Eschbach, l. c., d. 2, c. 4, sect. 1). In his ergo rerum adjunctis tenetur per se mater operationem subire, quia ex una parte nullum aut valde remotum est periculum matris, et ex